

8.51.4

*Idem AA. Hermogeni.*

Nec nos praeteriit hereditatem eius, quam incognitum erat ab hostibus interfecti an capta esset, a filio adiri non potuisse (quando eorum bona, qui in hostium potestatem rediguntur, eo demum tempore successionis iure adquiri possunt, cum captos apud hostes mortuos esse cognoscitur), nec super facultatibus eius, cuius incerta vita ac fortuna fuit, transigi vel iudicari potuit.

¶ Unde posteaquam apud hostes materteram vestram fati munus implesse innotuit, tunc vobis licentia permittitur agnoscendae per bonorum possessionem successionis: non officientibus enim, quae perperam gesta sunt, si priorem gradum obtinetis, successionis compendium ad vos pertinet.

*PP. V k. Iun. ipsis AA. IIII et III consss.*

[a. 290]

8.51.5

*Idem AA. Ursae.*

Cum non redemptum ab hostibus filium tuum, sed sine ullo contractu traditum a barbaris praefecto legionis dicas, postliminii ius locum habuit et ilico ingenuitati suae reddi eum praeses provinciae iubebit.

*PP. XVI k. Iun. ipsis AA. IIII et III consss.*

[a. 290]

8.51.6

*Idem AA. Iusto.*

Cum et postliminii ius et communis utilitatis ratio exigat, ut, si qui captos ab hostibus redemerint, accepto pretio redemptos suae ingenuitati restituant, proponasque redemptorem noluisse oblatum pretium a te vel ab alio recipere, praeses provinciae efficaci instantia compellet eum legibus obtemperare et recepto eo quod pretii nomine dependitur status securitatem non inquietare.

*PP. k. Febr. Tiberiano et Dione consss.*

[a. 291]

8.51.7

*Idem AA. Claudio.*

Foedissimae mulieris nequitia permovemur, cum igitur filiam tuam captam ac prostitutam ab ea quae eam redemerat ob retinendae pudicitiae cultum ac servandam natalium honestatem ad te confugisse proponas, praeses provinciae, si filiae tuae supra dictam iniuriam ab ea, quae sciebat ingenuam esse, inflictam cognoverit, cum huiusmodi persona indigna sit pretium recipere propter odium detestabilis quaestus, etiamsi pretium compensatum non est ex necessitate miserabili, custodita ingenuitate natae tuae adversus flagitiosae mulieris turpitudinem tutam eam defensamque praestabit.

*PP. III non. Febr. Tiberiano et Dione consss.*

[a. 291]